



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. I. De Patientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)



# PARS II.

*De Patientia.*

## CAPUT I.

**D**ESIDERIUS Fructibus antè dictis bene re-  
fectus, ac optima sode-  
litate, nempe Cane suo,  
id est, Bona Voluntate, atque Ostia-  
rio, id est, Timore DEI, ex uno  
latere, & ex altero Simplicitate,  
munitus, itemq; manticam habens,  
Fructibus memoratis, nempe Con-  
fidentia in DEUM, abundè refer-  
tam, lætus & alacer ex Humilitatis  
discessit domo, & iter Patientiæ bo-  
no animo cœpit capessere. Quod  
G 2 li-

licet brevius & compendiosius esse illi dictum erat, tamen asperum, durum, difficile, vepribus senticosum ac scrupulosum comperit, aitque Simplicitati: DESID. O DEUS bone! quam aspera, molesta & dura hæc via est! equidem nunquam id credidissem. SIMPL. Nihil hoc mirum tibi videri debet Desideri: namque hac ex causa Patientiæ via dicitur, quæ si tam scrupulosa, petrosa, difficilis, tribulis ac vepribus plena non esset, non sic diceretur: neque domus illa, ad quam perducit, tanto in precio haberetur, si plana & jucunda, & quibuslibet pro ipsorum arbitrio pervia foret. At nunc præter bene exercitatos nemo eam calcet. An verò commune illud non tenes proverbium, Nihil boni sine labore obtineri, nec dulce aliquid sine acerbitate? Et quia nunc hoc iter ingressus es, illius asperitas ferenda est: sed non diu durabit. Nimirum qui pisces cape-

re

re volunt, sese madesieri ut ferant,  
 oportet. Itane persuasum habes,  
 rem tanti momenti, talemque the-  
 saurum, ut est Amor DEI, temerè  
 & nullo negotio te reperiturum? Fac  
 memineris dicti illius Senecæ Philo-  
 sophi: Non potest parvo res magna  
 constare: itemque, Nam justè per  
 magnos ad magna præmia labores  
 itur. Deliras planè Desideri, si te  
 rem tantam nullo negotio pro voto  
 putas adepturum. Neque verò ali-  
 cuius pensæ habiturus esses Amorem  
 DEI, si tam facilè illum liceret adi-  
 pisci, quandoquidem non magno  
 constitisset. Age igitur, enitere mo-  
 dò paulisper pro viribus, nec ali-  
 quid laboris suscipere pigeat: postea  
 cum Amore DEI requie perfruèris,  
 ejusque consolationibus recreaberis,  
 atque etiam majori eum in precio  
 habebis, impensius diliges, & stu-  
 diosius conservabis: quantoque  
 majorem illius obtinendi causâ labo-  
 rem perpeffus eris, tantò etiam post

majori gaudio & consolatione refo-  
 veberis. Quòd si viribus animoq;  
 lassescere contigerit, ede fructus  
 illos, qui *Confidentia* in *DEUM*  
 appellantur, quos apud te habes,  
 erisque robustior, & ad viam redi-  
 bis. Si itineris molestiam ac tædi-  
 um sentire noles, imiteris viatores,  
 qui cantando itineris molestiam al-  
 leviant. Desiderius hujuscemodi  
*Simplicitatis* verbis, consolatione,  
 ac animatione non mediocriter exhi-  
 laratus, ait ad illam: *DESID.* Qui-  
 nam, obsecro, in senis hujus gra-  
 vis ac morosi contubernio cantare  
 poterimus? *SIMPL.* Hæc illi con-  
 suetudo est, ut talem in gestu & ha-  
 bitu præ se ferat gravitatem ac matu-  
 ritatem, alioqui totus reverà dul-  
 cis, jucundus & amabilis est, quip-  
 pe qui *Amoris DEI* germanus est,  
 cantumque gratum habet, maxime  
 quando non ex animi levitate, sed  
 spiritûs exhilarandi ac tædij ex itine-  
 re nascentis fallendi & levandi, ani-  
 mum-

mumque per iter confirmandi gratiã  
 canere nos videt. **DESID.** Quo  
 pacto canam, qui vocis inops sum?  
**SIMPL.** Fieri non potest, ut voce ca-  
 reas, quando ipse vox es. Mira-  
 batur id Desiderius, quòd ipsum vo-  
 cem esse diceret, aitque illi: **DESID.**  
 Qua ratione fit, ut ipse vox sim?  
**SIMPL.** Tu quidem, sicut & crea-  
 turæ omnes, per **DEI** verbum con-  
 ditus es: Constat autem, post ver-  
 bum existere vocem. Cum igitur  
 simul atque **DEUS** sermonem pro-  
 tulisset, mox creaturæ omnes extite-  
 rint, sequitur inde, creaturas omnes  
 voces esse. **DESID.** Precor, id paulò  
 meliùs explices. **SIMPL.** Faciam  
 ac lubens. Sermo & Verbum non  
 nisi unum sunt. Siquidem sermo  
 non id est, quod ore profertur, sed  
 quod intùs animo conceptum retine-  
 tur. Quod verò ore exprimitur,  
 vox est, sermonem sive verbum cor-  
 de conceptum significans. Sic si  
 mente ejuscemodi cogitationem.

concipiam, hominem te esse, ea-  
quidem verbum est, sive sermo: &  
licet ore non proferam, tamen intus  
retineo: Quod si ore exprimam, Tu  
es homo, hoc ipsum vox est, laten-  
tem mentis conceptum significans.  
DESID. Agedum videamus, si vox  
ego sum, cujusnam vox sim. SIMPL.  
Nimirum DE I quædam vox es, à  
quo ad illius laudem, honorem &  
gloriam creatus es. DESID. Ec-  
quid igitur de meipso loquor, quan-  
doquidem vox sum? SIMPL. Ef-  
sentia illius, quam habes à DEO,  
bonitate, DEUM bonum esse præ-  
dicas: sic & pulchritudine tua, pul-  
chrum illum testaris, utpote cujus  
beneficentiâ talem & bonitatem &  
formam ac pulchritudinem es conse-  
cutus. Denique quidquid in te est  
creatum à DEO, non nisi quædam  
DE I vox est, illius virtutem ac bo-  
nitatem exprimens. DESID. Qua  
ratione, quidquid in me est à DEO  
conditum, vocem esse confirmas:

nec

nec simpliciter & absolute, quid-  
 quid in me est, vocem asseris?  
 SIMPL. Eò videlicet, quòd malitia  
 & peccata tua, quæ utique DEUS  
 non fecit, non DEI, sed tuæ sint  
 voces, quæ te vilem, improbum  
 sive malum, impurum ac fœdum lo-  
 quuntur. Ut enim per creaturas  
 DEI ad ejusdem cognitionem duci-  
 mur, ita per ea, quæ nos ipsi gessi-  
 mus, quæque ex nobis proficiuntur,  
 ad nostri licet notitiam perve-  
 nire.

*Ut DEUS per Creaturas  
 cognoscatur.*

## CAPUT II.

DESiderius quidem non sine ad-  
 miratione Simpliciteris spe-  
 ctabat conditionem, quòd licet non-  
 nihil rudis videretur, tamen rerum  
 istarum sublimium, ac neutiquam  
 vulgarium, tam prudens esset, di-